



1785

1. Hufeland, Gottlieb: *De legibus in pandectis interprete-*
darum subsidio ex carum max et consciente potest.
Do
2. Reichert, Dr. August: *De fiduciomissa ius, quod super-*
futurum est usque differentia iustitiae, quibus accip-
ta reddenda sunt in cetero genere ut nos. C. VIII.
3. Schottky, Iustinus Christianus. Lut. de: *De Caesareo*
juris litteras penitiales concedendis simulac
solemnis inaugurations. . . Ernesti Tomperi
Schmidii in D'est. 25 auct
4. Schmidius, Dr. Lutetius: *De iis, quae ad exercen-*
tum ius retenbouis necessarie sunt.
5. Walchins, Comt. Titor: *Programma: De printygo*
datis Indiacae, quo Joannis Henno Ackermann
et. Dissertacionem manu. . . indicat.



1785

b. Walchius, Cr. Fris: Reliquiae controverse inter
Bulgarij & Balgaris et Marcomannos Goriens. De
populatione Satis. Programma; quo . . . Inclitib
Hesaland . . . Disputationem inau . . . indicat.

T. Walchius, Correns Friderici: De verisimilitudine
criminis.

1787.

1. Eckart, James Lud. T. 1. 024. Recens: De feudi
feminini natura eten illa velut primo acq[ui]
renti in successione descendentiam numerus 6.
feminas masculis praeferre sed licet?
Programma, quo Augusti Henrici Thes. Gestor,
disputationem inau . . . inicit.

2. Eckart, James Ludovicus: De Iuris feudatis
coram eis quod concursu feudi locandorum
ordine.

for 3. Walckius, Coriolus Fustorium: De juri sacerdotum delatione
De in reformatrice Francorum perbessari.

1788

7. Gruner, Chorol. Graecopis, trad. med. docens: Figmenta
medicorum . . . de variolais et mortillis similiisque
sollennissima ita. Valerii Fustorium Neubek indicit.

5. Mullius Kratt, Am. Acad. Fr. : De prescriptione serv-
itutum extintivis imprimitis art. 1.13 P. deo de servit.
et aqua

6. Mauro, Coriolus Tacabri: Rebus ab eorthone instru-
mentorum usq; immuniis, sed persimilac actis
ad eam obligatis est

7. Schmidius, Do Lector. trad. juri. docens: De interpretata
lione ex his iuris civilis ab interrupienda prescritione
hanc excludenti. Programma, Dissertationes ita.
Am. Acad. Fr. Mullius Kratt praemissa.



1789.

1. Richard, Dr. Historicus: De quibusdam caelionibus
et circa peripheriam corporis velicti in furo magno
certitudinem attributis. Progama et solemnia
inaug. Iur. Aug. Christiani ab Hellfeld.
2. Merian, Fr. Jm. Cr.: De persistu capsulariorum
non stimulorum contradictricis in genere
3. Reschardt, Dr. August, Ord. jns. Decanus: Notae
achas legitimis Romanis fuerint solenniores ad
P. 77 8. 1. 2. j. Progama, gen Dr. August Richard
solenne inaug. in Ost.
4. Walderus, Carolus Historicus: De furto fane dominante
facto ut l. C. C. art. 166.



4, 231.

DISSE^TAT^O IN AVGVRALIS
DE
LEGVM IN PANDECTIS INTERPRETANDARVM
S V B S I D I O
EX EARVM NEXV ET CONSECVTIONE
PETENDO

1785/1

QVAM
RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
DOMINO
C A R O L O A V G V S T O
DVCE SAXONIAE IULIACI CLIVIAE MONTIVM ANGA-
RIAET GVESTPHALIAE REL.
CONSENTIENTE ILLVSTRI IVRISCONSVLTORVM
ORDINE
PRO SVMMIS IN IVRE HONORIBVS

A. D. X SEPT. MDCCCLXXXV.

DISCEPTANDAM PROPONET
G OTTLIEB HVFELAND
PHIL. MAG.
GEDANENSIS.

I E N A E
LITTERIS HELLERIANIS.



DIGESTA IN VITRINA
LEADER IN SAVONIA TUTTIPRINCIPI
S A P I E N C I O
EX EVAU M IXI DE CONSECA TIONE
H E R T I N G D U R H I M
S E N A T U R A B R I C H T I C
S E C T O R E A C A D M I C M I L D E B R U S S I C
S E P T E M B R I C PRINCIPAL C POWI N D
D O M I N O
C A R O L O V A C A S T O
D A V O S A Z O N I T A U A N D O Q U A T E R M O R T I M A N D
M A Y T E V A S T E R R E I S
C O N S I D E R A T I O N E M I R C O S Z Y T O R U M
L E T O B U M M I S I N H A N D O N R I S
G O T T F R I D
M A Y T E V A S T E R R E I S
M A Y T E V A S T E R R E I S
M A Y T E V A S T E R R E I S



REIPUBLICAE GEDANENSIS
SENATVI MAGNIFICO

O B S E R V A N T I S S I M E

D^{r.} D^{r.}

A V C T O R.



REIPUBLICAE GEDANENSES
SENATI MAGNIFICO

DISCOURSES OF A MACHIAVELLIAN

BOOK

LOTUS

Non dubito, fore qui mirentur, hisce temporibus, quibus, uti quisque maxime legum peritus esse et hominibus favere videri vult, ita summum in vituperandis legibus romanis et concipiendis de reformando iure votis ponit studium, de novo iuris romani interpretandi subsidio me adhuc esse sollicitum, et exinde sibi persuadent, novum olim et acrem iurisprudentiae antiquioris me exstirum esse defensorem; a quo quidem consilio et proposito equidem me maxime omnium abhorrere sentio. Quanquam enim, sicut nuper fabularum et narrationum fistarum spretis omnibus artis regulis concinnandarum furor, post immensum de emendanda liberorum educatione scribendi studium, ita nunc perpetuae et repetitae de naevis iurisprudentiae nostrae querelae apud viros doctos et prudentes levis notae, ut ita dicam, maculam iuvenibus adsperserunt, qui se turbis ipsis admiserent, ita ut non tam graviores



ris quam levioris potius ingenii homines esse censerentur, tamen, cum in omnibus istis turbis viri vere egregii vel autores et duces vel sectatores clari fuerint, quorum existimatio inter illas ipsas conturbationes aucta magis est et stabilita, facile patet, conatus illos non, nisi ubi mera imitatione nitantur, despectui haberí, ideoque, si vel in hanc de iuris nostri mendis sententiam eatur, illud honori magis quam dedecori esse, quandoquidem ea argumentis idoneis suffulta, ex vera animi persuasione promanaverit. Quamobrem minime dubito, illis accedere, qui ad generis humani vel populi saltem nostri felicitatem augendam ius romanum, et quae ab eo pendent, abolendum novasque penitus leges condendas esse censem; idque eo fortius assero, quo plura iuris varii, incerti, subtilioris, inepti, crudelis specimina cognita sunt. Maxime igitur necessariam et ego duco iuris emendationem vel potius novam formationem; sed hoc negotium legislatoribus totum relinquendum, nec ab illis, quibus ius administrandum vel interpretandum datum est, ne levissimo quidam dígito attingendum esse existimo; sed ita ut non de universi iuris emendationibus proponendis, sed de reformandi inter iuris dictiōnēm ipsam conatibus agam. *Kantius*, vir summus, uti plurimā, sic hoc etiam praeclare docuit, qualis sit inter usum rationis publicum et privatum differentia; *) quem

*) Ueber Aufklärung — in der Berlin. Monatschrift. 1784. December.

quem omnes isti adeant velim, qui ob urgentem
iuris emendandi necessitatem totum iurisconsulti
officium in meditationibus de novo iure creando
instituendis ponunt, studium vero iuris, quo nunc
adhuc utendum, negligunt; quo pacto nihil effi-
citur, nisi vt iustitia in dies magis vacillet. Equi-
dem vero censeo, si cui, quid in iuris scientia pro-
fecerit, probandi officium imponatur, ei potius ex
ambitu legum, quibus nunc utimur, specimen
doctrinae proferendum quam consiliis de novo
iure condendo laudem esse quaerendam; nam hoc
est Iurisconsulto necessarium, nosse leges, quibus
uti debeat. Novam vero doctrinam vel forte
etiam hypothesis proferre, quam cognita et cen-
ties proleta iterum exponere malui, vt appareat
quodammodo, me in legendis et perscrutandis
iuris nostri fontibus non ex aliorum formulis ac
decretis unice pendere, sed meum quoque iudi-
cium adhibere voluisse.

Multi



Multi quidem viri celeberrimi in interpretando iure
romano omnem posuerunt operam et quam pluri-
mi inter istos maximam inde consecuti sunt famam. Quo-
rum ex numero si de operis absoluti magnitudine indicare
velis, nullam forte putabis reperiri posse legem, quae post
tot illorum suscepitos labores non in clarissima luce posita
fit. Liceat enim IUSTINIANVS *) omnem omnino
commentandi in Digesta operam graviter vetuerit, et in
eiusmodi criminis reos poenam constituerit falsitatis; ta-
men cuncta ista, quamvis bellissima, praecepta ex longo
inde tempore neglecta videmus et eo iurisprudentiae no-
strae res devenerunt, ut iam omnes istas commentationes,
non dicam perlegisse, sed cognovisse hominis cuiuscunque
superet vires, et id quod maxime dolendum est, plurimi
istorum, ingenii quamvis acutissimi, virorum via non recta,
sed perverfa, uti mihi quidem videtur, incesserunt. Ve-
rum quidem est, indulgendum esse quoddammodo in hac
morum et institutorum nostrorum a romanis differentia,
praecedentibus in primis, ubi patriae consuetudines non sa-
tis exploratae et cognitae erant, seculis, modis interpretan-
di subtilioribus, qui saepe eum in finem inventi erant, ne
homines nostri per communicanda cum Romanis omnia
iura gravius opprimerentur et aequitas nimium negligere-
tur. Verumtamen ut alios nunc taceam minus rectos leges
explicandi modos, plus iusto certe mihi videtur tribui le-
gum

*) L. 2. §. 21. C. de vet. iur. encl. s. const. de confirm. digestor.
§. 21.

7

gum interpretationi, quae iureconsultorum veterum, quorum e libris leges, quae in Digestis occurunt, derivatae sunt, opinionibus eorumque temporum, quibus illi vixerunt, moribus et institutis nititur. Notae sunt satis jurisprudentium recentiorum de perditis veterum libris querelae, quos inter plures acerbissimas profert FRANC. BALDVINVS in *praefatis de iure civili* *). Notae sunt de restituendis antiquis libris IAC. CVIACII, IAC. LATITTI, ANT. AVGSTINI, WOLFG. FREYMONII, ABRAH. WIELINGII **), CAR. FERD. HOMMELII ***), aliorumque opera et nata inde, quam vocant, Cuiaciana explicandi methodus. Nota sunt FRANC. BALDVINI de Muciis et Papiniano, MATTH. WESENBECKI de Papiniano, EVER. OTTONIS de Servio Sulpicio, Alfeno Varo, Papiniano et aliis, I. NIC. GVNDLINGII de Trebatio Testa, Io. GOTTL. HEINECCII de Celso, Iuliano, cet., FRANC. CAR. CONRADI de Cajo, Io. LUDOV. CONRADI de Cervidio Scaevola, per ill. C. FR. WALCHII de Florentino ****), aliorumque de aliis merita maxima. Nec ego is sum, qui doctissimis eorum libris laudem justam detrahere velit et audeat. Bene enim scio, plures Digestorum locos illorum opera explicationem maxime perspicuam nactos esse. Id vero solum mihi a recta ratione quodammodo alienum videtur, quod, cum omnia ista ex libris illis divulgâ fragmen ta non nisi propterea, quod in nostrum Digestorum codicem illata fuerint, veram legis vim consecuta sint, omnis tamen eiusmodi labor circa veteres libros, nec ullus forte vel falso tem admodum exiguuus circa rationes explicandi ex panticis

*) vid. Heineccii *iurisprudentia romana et attica*. T. I. p. II.

**) Wielingii *iurisprudentia restituta*.

***) Hommelli *palingenesia iuriis*.

****) Prodiit haecce cel. Walchii de *philosophia Florentini ICi* commentatio primum Ien. 1754. 4.; nunc vero opusculis, quae mox iunctum prodibunt, (sub prelo enim sunt) inserta est; in quibus etiam alia de *Vlpio Marcello* disquisitione primum ibi edita jurisprudentiam elegantierem auxit vir perillustris.

8

dictis ipsis depromendas versetur, adeoque omnis, vt ita dicam, honor veteribus Iurisconsultis tribuatur, Triboniano et sociis debitus etiam detrahatur. Est quidem hoc circa veteres Iurisprudentes negotium, prout videtur, fera-
cius et uberior, cum major omnino percurrentius pateat campus, qui in altero explicandi modo admodum contra-
hitur, sed methodus haecce posterior priori longe est pro-
babilior. Si enim verisimilem de tota Digestorum confi-
ciendorum ratione formare nobis velimus ideam; cogite-
mus necesse est, omnem circa illa adhibitam esse curam,
ut totum illud legum corpus usui forensi ac iuris dicundi
negotio quam aptissimum redderetur. Non quidem nego,
abhorrire iam illud ab optima legis condendae ratione, quod
Iustinianus prudentum veterum responsa vel opiniones col-
ligere tantum verbis eorum retentis iussit et non potius
secundum eorum doctrinam et fori usum et virorum, quos
operi isti praefecit, ipsorum intelligentiam et prudentiam
novas omnino leges easque tanto clariiores concinnare me-
lius duxerit. Alienum enim omnino a causa ratione nostris
temporibus videretur, si princeps quidam codicem legum
ita confici iuberet, vt singuli loci ex Iurisconsultis nostris,
Struvio videlicet, Mevio, Strychio, Bergero, aliisque de-
cerpti ad juris corpus conficiendum colligerentur. Sed de-
mus hanc veniam antiquitat et temporum istorum opinio-
nibus; hanc saltem a Triboniano nostro abstergamus ma-
culam, quod via usus sit ad negotium absolvendum, quae ad
omnia duci videretur contraria; ipsum potius opus hac
ratione susceptum ut per media isti instituto praecepit con-
venientia absolutum sit, tum ratio cogitare suadet, tum Iu-
stinianus ipse edicit. Ecce verba eius ipsa: „Et hoc stu-
„ diosum vobis esse volumus, vt, si quid in veteribus non
„ bene positum libris inveniatis, vel aliquod superfluum,
„ vel minus perfectum, supervacua longitudine remota, et
„ quod imperfectum est, repleatis, et omne opus mode-
„ ratum, et quam pulcherrimum ostendatis. Hoc etiam
„ nihilo-

„ nihilominus obseruando: vt, si aliquid in veteribus legis
 „ bus vel constitutionibus, quas antiqui in suos libros im-
 „ posuerunt, non recte scriptum inveniatis, et hoc refor-
 „ metis, et ordine moderato tradatis: vt hoc videatur esse
 „ verum et optimum, et quasi ab initio scriptum, quod a
 „ vobis electum et ibi positum fuerit. Et nemo ex com-
 „ paratione veteris voluminis quasi vitiosam scripturam ar-
 „ guere audeat. Cum enim lege antiqua, quae regia nur-
 „ cupabatur, omne ius omnisque potestas populi romani
 „ in Imperatoriam translata sunt potestatem: nos vero far-
 „ ctionem omnem non dividimus in alias et alias condito-
 „ rum partes, sed totam nostram esse volumus: quid pos-
 „ sit antiquitas nostris legibus *abrogare*? *) Et in tantum
 „ volumus eadem omnia, cum reposita sunt, obtinere:
 „ vt, et si alter fuerant, apud veteres conscripta, in con-
 „ trarium autem in positione invenientur, nullum crimen
 „ scripturae imputetur. Sed nostrae electione hoc adseri-
 „ batur. „ **) Adde ex altera de confirmatione Digesto-
 „ rum constitutionem***) quae sequuntur: „ Tanta a nobis anti-
 „ quirati habita est reverentia, ut nomina prudentium ta-
 „ citurnitati tradere nullo patiamur modo, sed uniusquis-
 „ que eorum, qui auctor legis fuit, nostris Digestis in-
 „ scriptus est: hoc tantummodo a nobis effecto, ut si
 „ quid in legibus eorum vel supervacuum vel imperfe-
 „ ctum vel minus idoneum vistum est, vel adjectiōnem
 „ vel deminiōnem necessariam accipiat, et rectissimis
 „ tradatur regulis, et in multis similibus vel contrariis, quod
 „ rectius habere apparebat, hoc pro aliis omnibus positum
 „ est

*) Haec Iauchii (*meditation. de negationibus in Pand. Flor.* p. 239,) verbi: *abrogare* in: *abrogare immunitatio* placet. Alteram vero ejus correctionem, qua inculcam: *ne ante vocabulum: quid;* ex quibusdam codicibus MSS. adductam rejiciendam esse puto; si enim illam assumas, fieri non potest quin periodus tota membro poste-
 rior plane definita esse videatur.

**) L. I. §. 7. C. de vet. iur. enucleando.

***) L. 2. §. 10. C. cod.

est, unaque omnibus auctoritate indulta: ut quicquid
 ibi scriptum est, hoc nostrum appareat, et ex nostra vo-
 luntate compositum; nemine audente comparare ea, quae
 antiquitas habebat, et quae nostra auctoritas introduxit;
 quia multa et maxima sunt, quae propter utilitatem re-
 rum transformata sunt, adeo ut, et si principalis consti-
 tutio fuerat in veteribus libris relata, neque ei pepercis-
 mus, sed et hoc corrigendum esse putavimus, et in me-
 lius restaurandum; nominibus etenim veteribus relictis,
 quicquid legum veritati decorum et necessarium fuerat,
 hoc nostris emendationibus servavimus: et propter hanc
 causam et si quid inter eos dubitabatur, hoc jam in tu-
 tissimam pervenit quietem, nullo titubante relieto.
 His bene consideratis et perpenitus verbis nullum dubium
 reliquum fore credo, Iustinianum omnes omnino veterum
 Iureconsultorum libros auctoritate exuisse, nec quidquam legis
 vim habere voluisse, nisi id, quod in suum, vi DIONY-
 SIVS appellavit GOTHOFREDVS, juris corpus sit relatum.
 Quocirca non potest quin omnes illi contra Iustiniani vo-
 luntatem faciant, qui propter tollendas praecipue antino-
 mias ad antiquiora ista tempora semper recurrent easque
 vel ex secularum veterum differentiis vel ex vicilliudinibus
 juris ante Iustinianum declarare velint. Non quidem infi-
 tias ire possum, quod multae legum diversitates, quae fal-
 tem tales videntur, in Digestorum libris occurrant et ideo
 eorum excusationem liberter probo, qui in vasto tanto
 opere vel invito Tribonianus quaedam, quae a superioribus
 discrepant, excidisse, illudque vitio non adeo magno verti
 posse dicunt; attamen si verae antinomiae in *isdem* occur-
 renter titulis; hanc incuriam culpa, ut artis nostrae termi-
 nis utar, lata in negotio, ubi et levissima vitari debeat,
 commissam nullo modo excusandam esse crederem. Nam
 si omnes loci, quos in digesta retulerunt conscriptores
 eorum, legum vim in foris *isdem* accipere debuissent, et
 nihilominus isti pandectarum concinnatores eo fine leges
 varias in suos retulissent libros, non ut omnes valerent, sed
 ut

ut eadem ex temporibus aestimarentur, quaeque ex anterius derivata sint, per leges sequentium annorum, quam in unum eundemque saepè titulum collatae, tollerentur et abrogarentur; quid eo dici aut cogitari potuisse absurdius? Est hoc etiam e diametro oppositum Iustiniani iussis, qui pluribus in locis *) interdixerat, ne qua antinomia in digestis locum sibi vindicaret et potius aliquid novi et diversitatis ibi indagare iubet. Ob hanc ergo causam omnes istae Pandectarum emendationes, quibus emblemata Tribonianii rejiciuntur, vel rejecta ab eo verba restituuntur, magnopere reprobanda esse videntur **). Nam ea Triboniano ejusque locis data erat potestas, „vt, si quid in veteribus — non recte scriptum invenissent, hoc reformarent“ ***); et ut praecipuum istud pleniorum haberet effectum, diserte ibidem prohibitum est, „ne quis ex comparatione veteris voluminis quasi vitiosam scripturam arguere audeat. „ Quoties contra haec Iustiniani sui praecerta deliquerint fortissimi ejus defensores et adoratores, enumerari vix potest. Ne tamen forte nimis Triboniano fociisque ejus tribuendo in recentiores nostros Iurisconsultos junto acrius invehi videar; concedo quidem non nullas in corpore juris antinomias sat feliciter ista via conciliatas videri; equidem enim non nego, nec in pluribus aliis rebus nec in hac ista, de qua hic agitur, satisfecisse viperi officio suo Tribonianum. Sed qui semel vel iterum ce-

B 2

cidit,

*) L. 1. §. 8. C. de iur. encl. L. 2. §. 13. cod.

**) Hac ratione, vt de aliis nunc fileam locis, emendatoris Pandectar. Florent, in L. 22. D. de excus. emblemata particulae negativae: non suppositum videtur; quamvis Iauchius libr. cir. p. 3. proponet. Tribonianus enim sine dubio noviorem Constantini constitutionem in L. 2. C. de excus. artif. recipiens particulam istam, licet in Secunda forte occurrit, rejectis; idoque non Mucii verba restinenda, sed Iustiniani texum retinendum esse censeo.

***) L. 1. §. 7. C. de vet. iur. encl. — Saepissime illa potestate usus esse Tribonianum ceterosque, extra dubium est potissimum; et illustre emendationum illarum per totum titulum exhibitarum exemplum tradit Huber in praelect. ad D. ad tit. quando dies leg. ced. §. 1.

cidit, eam ob rem non semper supinus jacet, et tum propter ipsam rei naturam, tum propter Iustiniani repetitas mentis sue declarationes censeo, ad omnia alia prius recurrentia esse media, quam ad consilium, antinomias istas in digestis nostris obvias ex diversis ICTORUM temporibus vel opinionebus interpretandi; hoc pacto non potest, quin verus legum sensus saepissime everratur. Periculum ergo faciamus nova quadam via incedendi, et symbolam aliquam, quantulacunque sit, ad istum explicandi modum conferendi, ut forte quis alius, qui doctrina et ingenio, quod facillime credo, me superat, an ea uti quodammodo possit, anquire, et in via, quam commonstravi, longius et felicius procedere possit. Videtur scilicet mihi inter singulas leges, ex ipso ordine, quo in singulis digestorum titulus collocatae fuerint, nexus quidam plerumque apparere, de quo nunc plura ex proposito differamus; sed non nisi adumbratas quodammodo primas lineas expectare tum vires, tum instituti ratio jubent. Simili quidem consilio doct. Chr. Fr. Koch, filius tanto patre dignissimus, dissertationem inaug. de ordine legum in pandectis,*), quae mihi, cum hanc meam meditarer, in manus incidit, scripsisse videtur; sed ille tantum de ordine legum in titulis generali locutus est, non vero de quarundam se invicem excipientium nexu, in quo quidem ego plurimum roboris pono; sed cum iste prius illud argumentum doctissime exposuerit, idque latius etiam se prosecuturum esse, quod vehementer optamus, ipse promiserit; de eodem, ne jam dicta dicere videar, pauca tantum in medium proferre statui.

S. I.

*) Habita Gieflae MDCCCLXXXIII. a. d. III Iulii.

§. I.

Ac primum quidem vereor, ne sint, qui omnes istos de nexu inter leges Digestorum singulas inveniendo conatus vanos et inaneos, imo quoque ridendos esse judicent. Sed hinc fere, qui opinione de nullo vel perverso titulorum et librorum in Pandectis omnium ordine inducti singula, quae in Digestorum libris relata sint, fragmenta non nisi fortuito ac temere locum suum invenisse putabunt. Hi si didicerint, illam ipsam, qua nituntur, opinionem non adeo rectam et certam esse; aliter, ut spero, sentient. Evidem non nego, conjunctiones titulorum saepe inventarum admodum ridiculas, inter quas maxime inclaruerunt libri quarti tituli octavi, qui de arbitrorum recepto exponit, sequela, videlicet de recepto nautarum, cauponum et fabulariorum in titulo nona tractatio, et quod primo intuitu magis adhuc offendit, trium priorum libri tertii titulorum coniunctio, qui de postulando, de his qui notantur infamia et de procuratoribus et defensoribus una serie exponunt; at tamen secundi saltem exempli ratio sufficiens et clara reddi potest, et redditur, nec his exemplis evincitur, nullum in Digestis ordinem esse: Ipse potius Iustinianus *) edicit, inter omnes libros et ritulos ordinem et conjunctionem quandam intercedere, quamquam negari non potest, multo meliorem potuisse eligi. Sed defensores hujus ordinis, quantum fieri potuit, habuimus p[re]tres, inter quos IAC. CYRACIVS, IAC. GOTHOPREDVS. **) et alii plurimi satis innotuerunt, qui quodammodo Tribonianii et Iuliani, cuius editum perpetuum in adornandis Digestis Tribonianus praecipue secutus est, partes egerunt, et in pluribus rebus causas sufficietes protulerunt.

§. II.

Videtur vero et ille ordo, quamquam varijs illum scaterre mendis negari non potest, in explicationis utilitateus

B. 3.

minime

*) L. 2; §. 2. — **) C. derver. iure enucleando.

**) Manuale iuris. P. IV.

minime negligendus, sed optime esse animadvertisendum. Ista enim observatione hoc efficietur, ut legem quandam generatim conceptam ob tituli, sub quo collocata est, inscriptionem et objectum saepe ad singularem generis totius speciem restringendam esse appareat. Quod ut exemplio quodam illustrem, ex accutiori corporis juris inspectione facile patet, in libro septimo de servitutibus personalibus sermonem esse, in sequenti vero octavo ad servitudes ceteras, id est, reales eundem perduci, adeoque primum hujus posterioris libri titulum, quamquam generatim ejus concepta sit inscriptio, non nisi de realibus explicari debeare, et ob eam ipsam causam tituli istius leges 4. 8. 15. 16. 18, quamvis de servitutibus in genere exponere videantur, non nisi de realibus declarari posse censeo. Sed de hoc operis integri ordine plenius differere nec necessitas jubet, nec instituti ratio patitur, cum de alio quodam genere ordinis agere constituiimus.

S. III.

Iste enim major, ut ita dicam, qui inter plures titulos intercedit, ordo ex proposito meo hic praeterendus et tantum *ordo vel nexus legum singularium in eodem occurrentium titulo* est considerandus. Videtur enim saepenumero cura ad bene disponendas et ordinandas unius tituli leges a Triboniano esse adhibita. Enimvero saepenumero id factum esse contendo, ut adeo, qui contra sentiant, facile invenire possint titulos, in quibus leges, veluti ex sortis iactu dispositae, appareant. Et ne meae quidem hypothesi nimium forte tribuere videar, ego ipse plura iisdem suppeditabo exempla titulorum, ubi nullum invenire potui ordinem, sed quorum loca secundum seriem forte, in qua libri a iurisconsultis lecti sunt, excerpta et descripta esse videantur. Ex libro videlicet primo (in eo enim nunc et in posterioribus potissimum consistam necesse est, cum propositi ipsius ratio limites meae disquisitionis admodum coaret, nec per totam Digestorum molem vagare patiatur) huc

huc titulum quartum, decimum quartum, decimum sextum et reliquos a decimo octavo ad vicesimum secundum usque maximo iure referendos censeo.

§. IV.

Quod vero non omnium titulorum leges per talem excerptorum, vt nunc vocant, modum dispositae sint; facile sibi quisque persuadebit, si ad istud animum advertere velit, quod leges ex uno ejusdem veteris *Iurisconsulti* libro sumtae non una serie se excipiunt, sed per varios locos in eodem titulo inveniantur dispersae. Evidem diserte dixi: ex uno libro vel uno opere, et pluribus forte partibus distincto, quas scilicet uno volumine comprehensas suisse non absconum est; nam si tantum ex pluribus ejusdem *Iurisconsulti* operibus deceptiae essent; non eadem esset ratio, nec defutari essent, qui ob eam causam me mihi justo plus sumfisse dicerent. Ut vero exempla pro mea assertione adducam; in libri primi titulo primo leges 1. 4. 16. ex *Ulpiani* institutionum libro primo, leges 8. et 12. vero ex *Marcianii* institutionum libro primo; in ejusdem Digestorum nostrorum libri titulo tertio ex *Celsi* digestis L. 4. 5. 17. 18. 19. 24. 39., ex *Pauli* libris ad *Plautium* L. 6. 23., ex *Modestini* libro primo regularum L. 7. 40., ex *Ulpiani* libris ad edictum L. 9. 22. 30., ex *Iuliani* Digestis L. 10. 11. 12. 15. 20. 32.; in libri citati titulo quinto ex *Cajii* libro primo institutionum L. 1. 3. 6., ex *Hermogeniani* libro primo juris epitomatum L. 2. 13., ex *Ulpiani* libris ad *Sabinum* L. 10. 18. 20. 24. cet. cet. invenies deceptas. Immo ut istud adhuc addam, saepe repieres, unum eundemque *Iurisconsulti* cuiusdam locum in plures direptum esse partes, ita ut alia aliorum loca inculcentur, iisdemque expolitio juris cuiusdam fiat plenior; cuius exemplum, ut plura innumera raceam, in libri primi titulo octavo exstat, ubi leges 2. 4. 6. ex *Marcianii* institutionum libro tertio de promptae manifesto unam sermonis seriem constituant, cuius vero expolitio per leges 3. et 5. ex aliis prudentibus defun-

desumptas amplior reddita est. Hujus dispositionis non potest non adesse ratio, quam quidem aliam nobis fingere non facile possumus, nisi plures legum classes in colligendo spestarint atque secuti sint Digestorum concinnatores, quibus id consequi voluerunt, ut leges de eadem exponentes materia serie continua collocarentur. Si enim illa non subfaret, leges isto sequerentur ordine, quo ab ipsis Iurisconsultis letae et excerptae sint, quorum exempla etiam, ut iam dictum est, in pluribus invenimus titulis, e quibus inde nullus erui potest ordo.

§. V.

Sed in illis, unde exempla in paragrapho antecedenti sumpta sunt, *titulis*, si sententia nostra vera est, *ordo subesse* debet, quod quidem probatu facile est. In titulo primo L. 1 — 5. de jure naturae et gentium, L. 6 — 8 de jure civili, L. 9. de ambobus, L. 10 — 12 de iure in genere exponunt. (Titulus secundus libri primi una, ut ita dicam, lege absolvitur, scilicet lege 2, cui L. 1. non nisi pro omnii loco inservit.). Tituli vero tertii L. 1 — 9 de legibus et Senatusconsultis, L. 10 — 30 de legum interpretatione, L. 32 — 40 de consuetudinibus agunt (L. 31. et 41. non nisi proxime antecedentium appendices sunt.) Tituli quinti L. 1. 2. praefationem constitunnt, L. 3 — 6 divisionem et divisorum explicationem tradunt; reliquas vero mera esse miscellanea non nego. Titulus sextus in lege 1. 2. de potestate dominica, in L. 3 — 11. vero de potestate patria exponit. In titulo septimo, postquam divisionem generalem leges 1 et 2 dederunt, varia de adoptionibus et legitimationibus puncta declarantur; nempe in L. 3. 4. apud quem magistratum adoptio fieri possit? in L. 5. 9 qui consentire debeat? in L. 10. 15 quales adoptionis sint effectus? in L. 16. 21. quis arrogare vel adoptare possit et quibus id fieri debeat cautelis? reliquae eius tituli leges omni fere ordine carere videntur. Titulus nonus in L. 1 — 4 de senatoribus, in L. 5 — 10. de eorum liberis differit, et leges 11 et

et 12 appendices habet — Sed haec sufficient; cuicunque enim, qui attendere velit, in pluribus Digestorum titulis ordo elucebit — Non vero ita ordinem illum ortum esse existimo, ut antea totum titulum in plures subdiviserint classes Tribonianus locisque et post sub quacunque leges, quas invenerunt, disposuerint; si hoc enim fecissent, ordinem haberemus meliorem et magis perspicuum; verum potius excerptis locis et sub diversos titulos dispositis inter eadem nexus quedam, si fieri potuit, constituere contenderunt. Exinde quidem ordo iste doctrinalis appellari quodammodo potest, sed multum abest, ut eum systematicum fuisse propterea colligere possimus.

§. VI.

Mittamus vero jam hunc etiam legum ordinem et *ad earum nexus* progrediamur, ubi jam illud nulla fere indiget probatione, quod plures leges, prout se invicem excipiunt, connexionem manifestam habeant; Saepe enim leges plures unam tantum periodum formant, cuius rei statim tres primae in Pandectis leges et innumeræ aliae hiç illinc sparsæ praebent exempla — Aliae quidem non in unam conjunctæ sunt periodum, attamen iter sermonis per illos omnes producitur, ita ut revera unam et continuam constituant orationem, particulis conjunctivis: *nam, enim, sed, autem, vero, etiam, idem, item, igitur, itaque, et, ideo, ergo, imo, cet. concinnatam*, cuius exempla L. I. Tit. I. I. 7. 8. I. 11. 12. Tit. II. I. 1. 2. Tit. III. I. 1. 2. I. 4 — 6. I. 10. I. 11. I. 12 — 14. I. 20. 21. I. 26 — 28. I. 29. 30. I. 33 — 38. I. 39 — 41. Tit. V. I. 1 — 3. I. 4. 5. I. 15. 16. Tit. VI. I. 2 — 4. I. 5. 6. cet. praebent, ut plura in omnibus fere titulis obvia taceam, quorum etiam quaedam doct. KOCH in jam laudata dissertatione *) profert — Praeterea adhuc inveniuntur leges, quae, quamquam non particulis, sensu tamen aperto, conjuguntur; et horum quoque exempla L. I. Tit. III. I. 10 — 13. I. 14 — 16. I. 32 —

C

40.

*) §. 6.



40. cet. praebeant; imo tantus Tribonianus videtur fuisse conjunctionis amor et studium, ut, quamvis leges non de iisdem loquerentur rebus, tamen si vel nexus quidam inter illas cogitari vel altera ad alteram amplificandam vel finibus justioribus circumscribendam, vel rationem dispositionis praecedentis tradendam facere potuisset, istas ille semper conjungeret; *huc e. g. refero L. I. T. V. l. 9. 10. l. 18
19. l. 23. 24. cet.*

S. VII.

Hicce, quae haec tenus prolata sunt, bene perpensis vix dubium restare posse videtur, quod saepissime inter leges Pandectarum nexus intercedat. Illud vero cum ad plenius absolvendam probationem facere possit, adhuc addam, *ex isto titulorum ordine et nexus a me indicato fluere rationes, cur leges ex unius Iurisconsulti libris desuntae tam diversis ac discrepantibus locis collocatae fuerint*; ita enim luce clarius erit, non potuisse fieri, ut casu quodam temerario suum locum obtinuerint. Unum sufficiat exemplum, ex titulo tertio libri primi desumptum. Septem ibidem occurserunt ex Celsi digestis divulsa leges, *) quae per titulum totum dispersae sunt. Diximus vero supra **) titulum istum a l. 1 — 9 de legibus exponere; palam inde est, leges 4 et 5, quae de legislatione differunt, huc conferre debuisse. Inter seriem vero a lege 10 ad 30 productam, qua de interpretatione legum agitur, l. 17 — 19 et 24 bene collocatae sunt; ratio vero, cur istae a se invicem separatae sint, haec videtur, quod ista tituli nostri sectio iterum quodammodo subdivisa est; L. 17 — 19 enim de quibusdam interpretationis praecognitis generalibus loquuntur, l. 24. vero de regulis ejusdem particularibus, et ita quaque inter similes invenitur. L. 39 autem de consuetudine exponit, ideoque et illa in suum ordinem optime relata est. Reliquae ex uno libro de promtae leges et in citatum titulum dispo-

*) vide supra §. IV.

**) l. 5.



dispositae quo modo suum invenerint locum, ex ordine supra expoiso facile patet; haec tantum, quae forte non ita clara sunt, addam, legem 30 legi 29 illustrandi gratia junctam esse; legem 14 lege 15 confirmari, legem 20 seriem sequentium, quae ad 25 usque producitur, et legem 32 ultimam tituli partem incipere.

S. VIII.

Haec omnia vix ullum relinquere possunt dubium, leges Pandectarum nexus gaudere et in titulis Digestorum ordinem deprehendi. Concessi quidem et semper concedam, multos esse titulos, in quibus nihil horum videmus. Attamen qui semel, quantae curae Triboniano ordinis fuerit constitutio, animadverterit; hic tamen semper credet, nexus et ordinem intercedere, et rationem subesse, cur haec vel ista lex in illo loco deprehendatur; hic semper suscipitur, legem hanc vel illam ad singularem forte casum per ipsum, quem naeta est, locum adstringi, et inde forte plures tolli posse legum antinomias.

S. IX.

Quae cum ita sint, verissimum mihi quidem videatur, nexus ipsum et quae ab eo pendent, saepe conduce re posse ad legum interpretationem, atque inde novum oriri medium explicandi, cuius maximus in eo sese exseret usus, ut doceat, plures leges, quas haec generaliores credidimus, ad singularem casum vel speciem juris particularem esse adstringendas, nec in posterum generaliter declarandas. *Hic vero interpretandi modus hucusque omnino fere neglectus fuit; nec ullam eius mentionem in interpretationibus, quamvis non paucos consuluerim, factam invenire potui.* Videtur quidem primo intuitu aliiquid simile HIERONYMVS SCHYRPIVS cogitasse, qui, uti FORSTERVS de *juris interpretatione*^{*)} dicit, inter media hermeneutica continuationem ad *praecedentia* numerat, sed quicunque in an-

G 2

tiquis

^{*)} L. II. c. 1. n. 3. — in OTTONIS *Thesauro* T. II. p. 990.



riquis paululum versatus est artis hermeneuticae praeceptis, is non ignorabit, isto nomine eum insigniri explicandi modum, qui contextum verborum unius loci inspicere praecipit, cuius igitur *Schursius* etiam sine dubio rationem habuit; unius scilicet legis verba, non vero plurium legum connexionem respicere jubens. De nexus legum singularum ergo, quatenus inde ad interpretationem proficerem possumus, nihil protulerunt interpretes; de ordine vero inter leges unius tituli interdum aliquid meditati sunt, uti ex FRANC. FROSCII et HVBERTI GIPHANII, quos doct. Koch *) citat, exemplis patet.

§. X.

Illud vero observationis vix indiget, inter omnes nostri juris tum civilis tum canonici partes istum nostrum explicandi modum, si quis forte sit, *ad sola fere Digesta applicari* posse; nec enim Institutiones et Novellae, cum continuo decurrant sermone, nec Codicem et Decretales, cum constitutiones istis insertae ordine incedant chronologico, tali nexus gaudere posse, ipsa illorum ratio modo dicta docet. Restat Decretum, cuius ratio, cum leges singulas nec secundum temporis lapsum ordinatas contineat, cum Digestis omnino convenire, igiturque nexus tam vel ordinem saltem doctrinalem supponere videtur; cum vero rei istius perscrutatio me a consilio longius abductura sit; praeferat ab ea hic prorsus abstinere.

§. XI.

Pauca adhuc circa rationem adjiciam, quam in adhibendo isto explicandi subfido ex legum ordine et nexus petito sequi debeamus. Si tibi locus Digestorum, qui doctrinam a cetero iure in Institutionibus vel Digestis vel Codice proposito quodammodo abhorrentem tradit**), forte occurrat;

ante

*) in diff. cit. §. 9. 10.

**) Si Novellae tantum aliud disponant, verisimillimum est, illud jus

ante omnia videoas velim, an forte in legibus praecedentibus de casu singulari sermo instituatur, ad quem etiam lex, quae tibi difficultatem movet, referri possit, et ut eo fortiora istius rei habeas argumenta, anquiras, anne ordo quidam omnium ejus tituli legum, qualem in §. V. supra expositum dedi, cogitari et proponi possit? Si talem subesse et in illa tituli parte, in qua tua lex reperiatur, quandam casum singularem explanari videoas; habebis rem evolutam. Si vero istud non deprehendatur, tunc videndum, utrum leges proxime antecedentes et subsequentes vel illa una, quae proxime praecedat, lex tale quid involvant, quo tuus textus solvatur? quibus omnibus si nihil profeceris, ad alia remedia progrediaris; ab his vero, quae tempora Iustiniani maxime respiciunt, mediis semper degrediendum esse ob ea, quae hac de re in prooemio dixi, censeo. Ne vero ista omnia dictu proclivia, factu difficulta esse dicantur; jam legis cuiusdam, in qua interpretanda maxime dissident Doctores, ex ejusdem cum legibus praecedentibus nexu explicandi periculum faciamus.

§. XII.

Quicunque quadam de capitibus juris controversi praecipuis cognitione pollet; is scire debet, legem 54 D. de jure dotium -- maximis jurisconsultos difficultatibus implicuisse, quoniam, quanquam summopere in illo explicando defudaverunt, tamen nullam proferre potuerunt explicationem probabilem. Contortas enim et insufficientes omnes istius legis interpretationes haec tenus proditas esse, cuicunque, qui eas inspicere vult, persuasum erit, et jam ex paucis illis, quae mox addenda sunt, patebit. Iam vero illam legem citatam aperte legi L. 12. C. de jure dotium. repugnare

C 3

et

jus correctorum esse. Idem interdum in Codice manifestum est, nisi res circa constitutiones istorum imperatorum versetur, qui ante Iustinianum adeoque etiam ante Digesta composita vixerunt, iesimo sit, cum enim luce clarissima esset, illud jus correctorum esse non posse, cum Pandectae post illas compositae leges juniores continerentur.

et ex ea causa totam istam ejus explicandae difficultatem oriri, neminem juris peritum latebit. L. 54. D. enim disterit dicit: *Res, quae ex dotali pecunia comparatae sunt, dotales esse videntur;* L. 12. C. vero easdem non dotales esse asserit; atque ista quidem legum discrepantia Doctores ipsos circa quaestionem: *an res, pecunia dotali comparata, fiat dotalis?* in duas partes diffraxit.

§. XIII.

Affirmat illam inter alios *Cocceji**, hisce praecepue nitis argumentis: 1) quia dos sit complexus plurium jurium, sub qua etiam aestimatio continetur 2) quod eadem ratione in hereditatem veniant ea, quae pecunia hereditaria sint comparata. 3) ob textum legis nostrae expressum, cui L. 26. D. eod., ubi „permutari dotem posse — ex pecunia in rem , dicitur, et L. 21. D. de pactis dotalibus jungit. Sed non adeo magnum firmatatis robur omnia ista argumenta habent; ut enim de primo et secundo plane taceam, ubi non nisi legum rationes traduntur, quae in aperata juris dispositione non sunt audiendae; de tertio saltem id monebo, quod duae posteriores leges (L. 54. nostram enim nunc praeteribo) de illo casu disponant, ubi illa permutatio dotis consentiente muliere et *in utilitatem mulieris facta* sit, (cujus exemplum etiam in L. 50. pr. D. h. t. habemus), quod in L. 26. D. de iure dotum, si praecedentem respicieas, cum qua per particulam: *ita aperto iuncta est, perspicuum erit;* in L. 21. D. de pact. dotal. vero vel ex ep apparebit, quod ibi de expressa viri et mulieris conventione agatur — Sed mirandum quodammodo *Cocceji* ingenium acutum, quo L. 12. C. de iure dotum, quae ipsi magnopere obstare videtur, in suum vertere studet commodum; adjicit enim, rei talis dominium quidem in uxorem

non

* *Ius civile controversum h. t. qu. VII.* — Eandem fere sententiam fouet, quamvis non satis clare eandem exponat, REGNER AB OOSTERGA in *dilputationibus ad Pand.* (quae *iusdemicen censurae belg. pand. iunctae* sunt). T. I, p. 163. 164.

non transire, sed eandem *dotis nomine* ab uxore peti posse propter verba *I. 12. C. cit.*: *at dotis tantum alio tibi competit.* Vereor autem, ne idem *Coccejo* acciderit, quod eidem in *tit. de inoffic. testamento* *) contigit, ubi in casu, in quo alii Doctores inofficiosi querelam dant, querelam nullitatis obtainere contendit; iisdem tamen effectibus auctoritate, quibus querela inofficiosi gaudet. Si enim *I. C. cit.* curatus inspicias, videbis, effectum, qui in eadem isti *dotis actioni* tribuatur, maxime ab illo, quem *Coccejus* eidem largitur, abhorrete; hic enim fundum *dotali pecunia* emtua, lex vero non nisi *dotis residuum* per istam actionem ad uxorem perventurum esse ait.

S. XIV.

Multo quoque pluribus probatur contraria sententia, qua scil. *I. 12. C. stricte servatur*, et *res ex dotali pecunia comparatae minime dotales esse* dicuntur; sed inter hujus sententiae defensores sufficiat nunc nominasse **LEYSERVM**, qui in *meditationibus ad Pandectar.* **) et rationes ejusdem dispositionis profert, et decisiones quasdam tradit, et scriptores, qui illam propugnant, allegat. De his, cum iam in *So* praecedenti aliiquid dixerimus, nunc taceamus atque tantummodo conciliaciones legis nostrae cum illa doctrina a Doctoribus tentatas consideremus. Iam primum sunt, qui vocabulum: *non in legem dictam inculcare velint*; quamvis vero per istud emblemam omne discrimen esset sublatum, tamen cum in *Mss. codicibus* particula ista minime inveniatur, magis corruptelam quam legis emendationem per hanc mutationem fieri appetet. Nec tamen illa legum conciliatio roboris quidquam habere videtur, qua *I. 12. C. legi 54. D. junior* esse, ideoque illam tollere dicitur. Cum enim *Tri-bonianum* legem Codicis a *Diocletiano* et *Maximiniano* latam bene novisse oporteat; non facile comprehendendum esset, cur legem *54.* in *Digesta* retulerit, quamvis scivisset, omni illam *vi* carere. Ad alia ergo pergamus.

S. XV.

*) *Qu. 7. 26. II. T. qd. D. m.* — **) *Spec. 304. med. 41. 54.*

§. XV.

Permulti sunt, qui omnes explicationis sue vim ex verbo ultimo: *videntur haurire velint, notam illud improprietas et similitudinis esse, atque res istas non vere, sed quasi vel secundum quid dotales fieri et rebus dotalibus aequiparari dicentes.* Haec est PACII *), BERGERI **), LEYSERI ***), cet. sententia; sed et haec explicatio maximis habet difficultates, nec desunt, qui illam fortiter rejiciant ****); neque dubium est, tali legis explicatione in Tribonianum maximam devolvi ignominiam, quod leges tam incertas et quae nullam utilitatem praebant, sed simplices indicent similitudines, corpori juris inservierit. Tuentur quidem quodammodo rem suam interpres citati, cum istam improprietas notam momento tamen pratico propterea non carere dicant; sed cum alii aliud prodant, separatim illos audiendos esse credo.

§. XVI.

Dicunt enim, ad uxorem quidem non pertinere dominium rei ita comparatae, sed tamen, *si maritus non sit solvendo, tum ei ob privilegium dotis concessam esse rei istius vindicationem, quam quidem PACIUS, LEYSER †) STRVVE ‡) utilem saltem dant, de qua vero BERGER ††) nil addit, ideoque de ista vindicationis directae et utilis differentia sollicitus esse non videtur.* Nocht †††) plane singularem casum in mente habuisse videtur, propter verba ejus sequentia: „*Mihi proclive est, Caji verbis usum querere in privilegio, quod mulier dotis nomine habet intermariti creditores, cum non est solvendo.* Res exemplo lique-

*) Εγκυτιοφραγων cent. V. qu. 53.

**) Resolutiones legum obstantium p. 545.

***) Mediat. ad Pand. sp. 304. m. 5. cit.

****) c. g. FABER conjectur. L. V. c. 9.

†) citatis locis.

††) ad Gothofredi Immo p. 188.

†††) cit. loc.

††††) comment. ad Pand. h. l. — in Opp. T. II. p. 502.

„ liquebit. Mulier marito dedit dotem, is fisco vel reipublicae debet; non est solvendo: mulieri competit privatum, egiū ante ejus creditores personales.“ Ego vero confiteor, mihi veram hujus viri sententiam nec exemplo nec praeter illud satis liquere. Omnis interdum haec de privilegio dotis eo usque amplificata opinio nulla alia lege nittitur, quamvis in foris jus ita saepissime dici non ignoro.”

§. XVII.

Aliam omnino rationem secuti sunt, qui casus singularitatem non tam in effectu vindicationis, et ejusdem circumstantiis, sed in ratione comparationis et emtionis ipsius ponunt. Accursiū enim ad h. l. supponit hic emtionem consentiente muliere factam, quam sententiam tamē admōdum reprobat MORNACIUS **). FABER ***) vero dicit hic tantum de tali differi emtione, quae nomine uxoris facta sit. Sed nihil de omnibus istis opinionibus dicendum est, nisi quod merae tantum hypotheses sint, cum res ipsa nulla suppeditet argumenta, ideoque non nisi conjecturis absolvī posse videatur.

§. XVIII.

Non quidem negandum est, argumentum quoddam, quantulumcunque sit, ex inscriptione legis de promtum praeferre interpretationem, quam BACHIVS ****) de hac propositu lege. Ille enim censet, eandem de isto differere casū, ubi vir quidam opus publicum faciendum conduxit, et ita redemptor operis factus a republica pecuniam prae manu datam accepit: propter quam omnia bona reipublicae hypotheca obstringi atque *praedes* (vid. inscriptionem) sibi debebant; tunc vero bona dotalia et quae ex dotali; pecunia

*) LEYSER med. ad Pand. sp. 304. m. 5.

**) obseruat. ad h. l.

***) loc. cit.

****) diss. de iure praediatorio.

cunia comparata essent, in ista omnium bonorum hypotheca non comprehensa fuisse, BACHIUS censet. Est quidem conjectura ista ingenii plena, sed dubito an sola haec debili ex legis inscriptione sumta ratio ad eam firmiter stabiliendam sufficere possit. Cum igitur tota res mihi non nisi conjecturis exponi posse videatur, in locum aliarum, quae omnibus argumentis egent, meam, quae tamen quodammodo argumentis suffulta est, substituere non dubito.

S. XIX.

Et primum quidem observandum est, *in toto titulo nostro non nisi de dotis datione et de jure isto, quod maritus circa dotem promissam petendam eandemque retinendam, et lucrum inde oriundum habeat, agi et exponi, nullibi vero de illo jure, quod uixeri circa dotem repetendam competit, quidquam prodi; quae quidem omnia ad libri vicefimi quarti titulum tertium remissa esse videntur, quod etiam per ejusdem inscriptionem ipsam: Soluto matrimonio dos quemadmodum petatur, significatum est. In nostro vero titulo jam leges tres priores, quamvis locos communes de dotibus in genere proferre videantur, tamen revera non nisi de dote danda agunt, uti e contrario l. 1. et 2. pr. D. foliat. matrim. de dote repetenda generalius dicant. Sunt quidem in nostro titulo quaedam loca, quae non tam de jure circa dotem dandam quam repetendam dicere videntur, sed nibilominus titulus in genere solummodo de dote danda exponit; leges enim istae, quae de uxoris jure loquuntur, admodum paucae et tantummodo praecedentium appendices sunt. L. 11 et 12. e. gr., quae hoc quodammodo referri possunt, aperte cum 10. conjunctae sunt, et non nisi effectus dotis aestimato datae tradunt, de qua in L. 10. plura produntur, quae sine dubio ad doctrinam de dote danda pertinent. Imo L. 10 et 12 unum aperte sermonem constituant, in quem L. 11 amplificationis causa inculcate est. Eadem quoque de reliquis perpaucis, quae uxoris jura docent, legibus hujus tituli dicenda sunt, scil. in iisdem non nisi*

nisi effectus, qui ex certa in dote danda adjecta conventione oriuntur, expori. Et mihi quidem probatum est, favorem istum dotis ita praedicatum non tam in jure circa dotem post matrimonium solutum, quam ante matrimonium initum locum habere; reipublicae enim interest, mulieres „dotes salvias habere, propter quas nubere possunt,“ *). Exinde vero eo magis traſlationi tituli nostri de jure circa dotem dandam convenit inscripſio: *de jure (ſ. favore) dotium.* Cum igitur in nostro titulo omnes fere leges de jure mariti circa dotem dandam exponant; mirum foret, si una lex 54, quae quidem non effectum conventionis singularis, sed regulam de dote generalem tradere videtur, de jure uxoris circa dotem repetendam differat. Sed qua tandem ratione ad jura mariti trahenda sit, mox videbimus.

S. XX.

Si enim antecedentes et subsequentes leges a l. 36. inde curatiū inspicias; plures offendes, in quibus *de dote a debito mulieris solvenda* agatur, quanquam serie non continua, sed multum interrupta illa doctrina exponitur. L. 53. praefertim, 55 et 56. pr. de isto caſu absque dubio loquuntur. Forte igitur etiam l. 54, quae inter illas polita inventur, de eodem caſu aliquid tradit; id quod eo verisimilius redditur, cum, si illa lex generaliter, uti concepta videtur, interpretanda effe, non huic ſolum loco, ſed materiei hujus tituli omni adverſaretur. Videamus ergo, num forte ad hunc reſtricta caſum et de isto ſolum expoſita, imo praecedenti legi penitus juncta, explicationem claram et probabilem recipiat.

S. XXI.

Lex praecedens 53. de illo caſu differit, ubi maritus donationis cauſa in dotis locum ſibi a muliere debitorem, qui ſolvendo non eſt, delegari patitur, ibique res tunc viri periculo eſſe dicitur; huic ergo legi ſi ſequentem 54 jungas,

D 2

hunc

*) L. 2. D. h. t.

hunc ista recipiet sensum: — In hoc vero casu modo exposito (ubi nomen non omnino certum dotis loco assumferit maritus) res, quae ex dotal, i. e. in dotem promissa et apud debitorem existente, pecunia a debitore comparatae sunt, dotales esse i. e. in subsidium a marito vindicari posse videntur. Cum jam ipsa res doceat, casum istum non nisi admodum raro evenire posse, minime mirandum, quod alias de ista re dispositiones in toto iuris nostri corpore non habeamus; optime vero conveniens esse videtur ista explicatio cognito illi dotis favori apud romanos maximo; vel saltem non absconum est, Cajum tantum doti favorem tribuisse, ut in tali quodam casu ita responderit. Responsum enim Cai legem nostram fuisse propter adjuctum vocabulum: *videtur*, quod in Digestorum et Decretalium responsis saepissime occurrit, mihi maxime probabile videtur: attamen responsum istud per ejusdem in Digesta illationem legis vim recepisse extra dubium est, quanquam secundum ejus a me expositam sententiam nullibi forte jus dicatur.

§. XXII.

Nec vero simili quoddam jure in foris nostris omnimodo caremus. Nullum enim juris peritum fugiet, per l. 2. D. quando ex facto tutor rem ex pupillari pecunia a tute no nomine proprio comparatam pupillo acquiri, illique utilem ejus vindicationem dari, quod, quavis optime sciam, ea dispositione nihil in nostra re longe diversa effici, tamen similitudinem casus habet, et forte Cajus in respondendo ad hoc pupilli jus respexit. Saltem cum aliae legis nostrae interpretationes nullo omnino nitantur argumento, mea vero quoddam ex legum connexione de promptum prae se ferat argumentum; illam, cum juris nostri principiis minime aduersetur, praeferre licet. Ita vero exemplum quoddam nostri subsidii adhibendi in evolvendo legis sensu dedimus, qui maxime involutus latebat. Clariores enim leges, ubi interpretatio per se lucida, vel aliunde facile repetenda esset, per illud medium iterum declarare non volui, ne istud super-

superfluum esse et in tanta aliorum explicandi modorum affluentia absque detimento negligi posse dicatur; sed addamus tamen unum adhuc specimen, ubi legis cuiusdam explicatio probabilis per nostrum subdidum fulciatur, et certitudo ejusdem, ut ita dicam, absolvatur.

S. XXIII.

Circa legem 37. *D. familiæ ericise.* Iis inter Doctores orta est, utrum particula non in eadem recte locum habeat necne? *Liber Pandectarum Florentinus* illam habet; *Basilici* vero *) habent ἐρωλογεις absque negatione. Illa discrepantia codicum inter doctores quoque literam dictam movit, ut jam plures sint, qui eandem sententia finire non audeant, inter quos *OOSTERGAM* **) nominemus, apud quem etiam auctores in duas partes citatos videas. Sed verior omnino sententia videtur, istud non recte in dicta deprehendi lege, quam *VIACIVS* ***) aliisque tueruntur. Omilis vero reliquis horum virorum argumentis nostro modo procedamus, et legem 36 et 37 jungendo posterioris sensum erexamus. *Paullus* in l. 36 resolvere voluit hanc quaestionem: utrum, qui cum illo, quem coheredem putasset, hereditatem divisorit, per hoc factum hereditatis petitione renunciaverit necne? Exponit ille rem per distinctionem; vel enim divisio hereditatis judicialiter facta est, vel extra judicialiter. Si judicialiter divisum sit, tunc propter rei judicatae auctoritatem hereditatis petitio cessat; si vero extra judicialiter transactum non videtur, et hereditatis petitio locum habet. Primo intuitu res omnis per hanc distinctionem exposita esse videtur, sed *Tibonius* noster bene animadvertis, unum ibi adhuc omisum esse easum, illum scilicet, quo actionem familiæ ericundiae heres contra coheredem putativum quidem instituerit, sed senten-

V 3

tia

*) L. 42. tit. 3.

**) disp. ad Pand. T. I. p. 37.

***) L. 9. obs. c. 46.

****) prael. ad Pand. h. t. §. 3.

tia nondum lata sit. Ut igitur quoque de hoc dispositum sit casu, et ita omnis quaestio resoluta sit, Scaevolae verba in l. 7. legi praecedenti subjicit : „*Qui familiae ericiscundae judicio agit, eo facto non constitetur adverbarium sibi esse coheredem* „, ideoque ante rem judicatam actionem mutare et hereditatis petitionem institui potest, nec vereri debet, ne propter jam institutam familiae ericiscundae actionem exceptione repellatur. Ita mihi ista res plenissime absolvi videtur. Sed haec de isto explicandi subsidio sufficiant, cum hanc rem tantum delibare, non vero ex-haurire constituerim.

THESES.



THESES.

- I. *Plurima, quae nunc in iure naturae tractantur, a Romanis in jus gentium referebantur.*
 - II. *Principium juris naturae, quod suum cuique tribuere jubet, non a recentioribus inventum est, quamquam ab antiquioribus non uti unicum juris naturae principium traditum est.*
 - III. *Jus Naturae iustis finibus circumscriptum, nil nisi jura docere debet, omni officiorum tractatione ethicae relicta.*
 - IV. *Jus Naturae ex aequalitate hominum qua principio deduci non potest.*
 - V. *Distinctio jurium in perfecta et imperfecta nullius pretii est.*
 - VI. *Paclorum vis non ex eo probari potest, quod officium imperfectum in perfectum immutatum sit.*
 - VII. *Jus Germanicum leges extra Germaniam latas inter fontes haberi non potest.*
 - VIII. *Pleraque Romanorum circa servitutum doctrinam principia justo subtiliora sunt.*
-



232 KAT.

etwol d' wundervollen fruehlings nacht von der
ersten vormittag bis zu die
zweyten vormittag erneut herum, zwischen den zweyten und
den dreyten vormittag, so war das wunderlichste, was ich
ausgesehen habe, obwohl die vormittage sehr verschieden

waren.

und die drei vormittage waren sehr verschieden, und zwar ist
der erste vormittag der zweyten vormittag und der zweyten

der dreyten vormittag sehr verschieden, so dass es in
diesem vormittag sehr verschieden war.

Aber von den

drei vormittagen ist der zweyten vormittag am meisten verschieden.

und am meisten heut, aber leider ist es von der zweyten vormittag
am wenigsten verschieden, und am dreyten

vormittag ist es am wenigsten verschieden, und am dreyten

vormittag ist es am wenigsten verschieden, und am dreyten

vormittag ist es am wenigsten verschieden, und am dreyten

vormittag ist es am wenigsten verschieden, und am dreyten

vormittag ist es am wenigsten verschieden, und am dreyten

VD18

ULB Halle
004 582 101

3



f


5b.





B.I.G.

Farbkarte #13



8
7
6
5
4
3
2
1
19
18
17
16
15
14
13
12
11
10
9
8
7
6
5
4
3
2
1
RTATIO IN AVGVRALIS

DE

ANDECTIS INTERPRETANDARVM

B S I D I O
NEXV ET CONSECVTIONE
PETENDO

1785/1

QVAM

ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO
MO PRINCIPE AC DOMINO

D O M I N O

L O A V G V S T O

AE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM ANGA-
IAE ET GVESTPHALIAE REL.

TE ILLVSTRI IVRISCONSVLTORVM

ORDINE

H I S I N I V R E HONORIBVS

D. X SEPT. MDCCCLXXXV.

C PTANDAM PROPONET

LIEB HVFELAND

PHIL. MAG.

GEDANENSIS.

I ENAE
TERIS HELLERIANIS.